AD

AMPLISSIMUM VIRUM

FLAMINIUM CORNELIUM

SENATOREM VENETUM

EPISTOLA TERTIA.

VIRO AMPLISSIMO

FLAMINIO CORNELIO

SENATORI VENETO

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

DUm adhuc ægre aliquantulum ferrem ſuſceptam fuiſſe, Te authore, Venetiis Coleti Typographi ſumptibus, Epiſtolarum mearum, quæ hactenus ſeorſim, ſeu ſingulæ, ſeu in Decades diſtributæ vagabantur, Collectionem, cujuſmodi a Brixianis meis typis adornari, etſi ſæpius rogatus, abnueram, ne ſcilicet voluptate carerem dono mittendi, quod facere conſuevi, Viris eruditis, inſignibuſque Bibliothecis prioris Editionis quæ ſupererant in manibus meis exemplaria, abſterſit repente ex animo meo qualemcumque moleſtiam illam SS. Benedicti XIV. Epiſtola ad Te data die 22. Decembris proxime elapſi. Laudes enim ibidem in doctrinam ſapientiamque tuam a tanto Pontifice collatæ effecerunt, ut potius quam dolerem, gratularer mihimetipſi, quod nutibus tuis, tuiſque pariter auſpiciis Collectio illa in publicam lucem eſſet proditura, præſertim quod Pontificiæ

eæ laudes emanarint paucis tantum hebdomadis; postquam SANCTITAS SUA ob oculos habuerat binas eas literas, quas nomini tuo superioribus mensibus inscripseram, & ex quibus, ut ipsemet fassus mihi es, visæ sunt eædem laudes velut originem cepisse. Intellexi igitur, si quidem voluntati tuæ ad novam illam Editionem propensæ quoquo modo refragari pergerem, me non eidem tantum, sed Pontificiæ etiam adversaturum, certior jam factus binas meas illas literas SANCTITATEM SUAM benigne adeo probasse, ut clementissime mihi scripserit, se iisdem legendis otii autumnalis particulam singulari cum voluptate impendisse.

Neque vero ex causa ista evanuit tantum mea omnis, quam dixi, ægritudo, sed insuper suavis subiit animum meum recordatio locupletissimæ illius sacrarum rerum supellectilis, qua redundat tuarum Decadum Opus, doctorum hominum plausu jam diu celebratum, cuique tandem Pontificiæ etiam authoritatis suffragium accessit. Statim autem, ut verum fatear, in mentem mihi venerunt, quotquot ex Francisci Barbari Epistolis fideliter, ac diligenter excerpseras, miraque eruditione in eo Opere condieras pro nonnullis Venetis Ecclesiis, Cœnobiisque illustrandis. Haud fieri profecto poterat, quin earum Epistolarum, gemmarum instar, eidem Operi insereres partem aliquam, quæ ad rem tuam faceret; namque pluribus locis de Heroe illo Venetæ Reip. quid sentias testantur aperte non Decades tantum, sed aliquot etiam Epistolæ tuæ disertis verbis ibi-

ibidem professus, propositum a me in exemplar fuisse Civibus, Patriæ administrationem suscepturis, Civem religione & probitate conspicuum, eximia in rebus agendis præditum prudentia, in administrandis pacis, bellique muneribus nulli parcentem labori, & in arduis rerum vicissitudinibus constantis animi firmitate fortissimum. Quanto autem ipsemet præstaret ingenio, qua doctrina instructus foret ad sacra etiam argumenta calamo pertractanda, ostendunt præter ejusdem Epistolas, quibus opportune usus es in Opere illo tuo, aliæ etiam quam plures; atque has inter principem certe locum tenet ea, quam conscripsit de gravissimo negotio Ecclesiæ Græcæ cum Latina reconciliandæ, cui Fertariense Concilium incumbebat. Hæc dum memoro, vides absque dubio arbitrari me, eundem Barbarum adnumerandum esse iis hominibus laicis, quibus facultas non defuit res Ecclesiasticas scriptis suis illustrandi; tuamque præterea solertiam magna me laude dignam existimare, quod margaritas e Barbari thesauro illo haud omiseris eruere, unde maximopere tuum Opus fulgeret. Æque certum habeo SANCTITATEM SUAM ad rarum earundem pretium animadvertisse, dum Epistolam illam exaravit, eoque magis quod optime norat & arctam amicitiam quæ intercessit inter ipsum Barbarum, & Cardinalem Albergatum, & testificationes ab illo hujus sanctimoniæ redditas, quæ, dum actum est de eo Cardinali ad Cœlitum numerum evehendo, plurimum causæ isti profuerunt, teste ipsa SANCTITATE SUA.

Hæc autem nil mirum si gemmarum illarum pretium seu extollere, seu indicare in Epistola sua prætermiserit; brevitas enim isti præfixa, & eximia PONTIFICIS bonitas erga eos omnes, quorum literarios labores compertos habet, calamum ejusdem pertraxere ad proferendos ex penu suo uberes eorundem laborum elenchos, in quibus nemo non admiretur Pontificiæ eruditionis divitias. Ea ipsa causa adegit SANCTITATEM SUAM, ne meritas laudes Operi tuo impertiendo caput ullum singulariter designaret, quo illæ niterentur. Insignia utique capita & Pontificiæ Epistolæ scopo maxime accommodata præbere valuissent tradita in tuis Decadibus XIII. & XVI. de falso jactata ab Augiensibus Monachis Corporis S. Marci Evangelistæ Venetiis in eorum insulam Translatione, & de simulationis labe Gregorio XII. Pont. Max. per injuriam inusta. De utroque isto argumento adeo docte, solide, & facunde disseruisti, ut ingenue confiteri non erubescam, jejuna & ferme misera præ illis mihi visa fuisse quotquot ego scripsi pro impugnanda S.S. Benedicti & Scholasticæ e Casino in Gallias asportatione, ac pro vindicandis tribus Romanis Pontificibus Paulo II. III. & IV. tribusque S.R.E. Cardinalibus, videlicet Polo, Contareno, & Sadoleto.

Scopum illum, quem modo indicabam, PONTIFEX initio illius Epistolæ aperiens, sibi novum, & permirum accidisse asserit quosdam Operi tuo obstrepere, quod sentiant provinciam de sacris rebus scribendi nullo modo ad sæcularem hominem spe-

ctare

ctare posse, sed eandem intactam relinquendam seu Clericis, seu Monachis. Lætor itaque his ipsis diebus, quibus hæc scribo, absurdam illam opinationem studio quoque meo explosam fuisse. Quippe qui edita juxta mentem Divi Caroli Borromæi, meique in Brixiana hac Ecclesia Decessoris Joannis Delfini de Theatris Epistola Pastorali, in scenam induxi Armandum Bourbonium Regii Sanguinis Principem, supremumque provinciarum Præsidem, & militiæ Præfectum, de iisdem Theatris evellendis disserentem Theologi præstantissimi instar, adhibita scilicet ad rem evincendam Sanctæ Ecclesiæ Traditione in Opusculo, quod de eo argumento scripsit, cujusque ego brevissimam tantum partem mea in Epistola illa recitavi. Miraberis profecto, si dicam quod revera accidit. Ea Epistola a me vix evulgata Brixiani Theatri subsellia prorsus vacua remanserunt, quæ solitudo variis pro hominum ingenio causis tribuitur, ego vero uni Divinæ Misericordiæ eandem acceptam fero.

Tandem antequam has literas claudam, redeo ad Collectionem Epistolarum mearum, quæ sub prælo Venetiis jam sudat, ac Tibi significo, vaticinium a Te de eadem prolatum, quod scilicet futura ea sit armamentarium ad oppugnandos Heterodoxorum errores, me quoque in spem induci, re ipsa confirmari posse. Jam nosti inter homines illos haud defuisse celebres insigniorum Universitatum Doctores, seu Professores, qui dudum disertis verbis confessi sunt, nil nisi ludibrium manere quotquot imposte-

posterum famæ Pauli III. & Reginaldi Poli detrahere curaverint, quique confessi sunt, Kirchmajerum non Wittembergensem tantum Professorem, sed Senioris etiam & Regii Consiliarii titulis honestatum in eas angustias a me fuisse redactum, ut nullum parare sibi possit effugium; hæc, inquam, nosti, nunc vero addere possum de eodem Kirchmajero Professorem alium ingenue vulgasse, desudare quidem ipsum fortiter in Epistola mihi reponenda, *at montes* (subdit ille) *parturient*. Historica argumenta, quibus ipse utor, nixus præsertim Cardinalis Poli Epistolis, eam habent efficacitatem, qua ex Adversariorum seu pervicacia, seu subdolis artibus carere passim videmus argumenta ex Sacræ Scripturæ locis, aut ex veterum Patrum dictis deprompta. Faxit Deus, ut novæ Editionis, quam aggressus est Venetus Typographus, ope, durissima saxa *Scalpri salubris ictibus, & tunsione plurima, fabri polita malleo* (cui labori meo felix respondit eventus etiam ex repetito ab Æmiliano Jordano monastico ovili post abdicatam Helmstadiensis Ducalis Universitatis Cathedram) apta tandem reddantur, quæ in fastigio locentur beatæ Hierosolymæ, adnitente præsertim supremo Religionis nostræ Capite, & Christi Vicario BENEDICTO XIV. Hujus ætati nihil utique felicius contingere posset, quam si ea esse dignosceretur, qua Deus *quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*, dignatus fuerit misereri, & ignoscere populo suo; quaque proinde accidisse deprehendatur quod non

esse